



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Metropolis Salisvrgensis**

Continens Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum  
Collegiatarum, &c. per Boiarium, ac loca quædam vicina

**Hund, Wiguleus**

**Monachii, 1620**

Beyharting Monasterivm Cano. Regvlarivm Sancti Avgvstini.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13578**

- IX. ORTWINVS, *An 1291.*  
 X. WERNHERVS, *An. 1306.*  
 XI. THEODORICVS, *An. 1316.*  
 XII. FRIDERICVS II. *An. 1319.*  
 XIII. WERNHARDVS, *An. 1361.*  
 XIV. VDALRICVS, *An. 1370.*  
 XV. FRIDERICVS III, *An. 1398.*  
 XVI. FRANCISCVS, *An. 1425.*  
 XVII. PETRVS, *An. 1445.*  
 XVIII. VINCENTIVS *Decretorum Doctor, An. 1452.*  
 XIX. GEORGIVS, *An. 1463.*  
 XX. IOHANNES, *An. 1464.*

*Infulati Praelati.*

- XXI. WILHEMVUS *Helfendorfer An. 1464.*  
 XXII. CHRISTIANVS *Sperer, An. 1504.*  
 XXIII. SEBASTIANVS *Schnepff An. 1515.*  
 XXIV. PETRVS *Häckl, An. 1524.*  
 XXV. CHRISTOPHORVS *Layminger, Magister, An. 1539.*  
 XXVI. IOANNES *Cronperger, An. 1540.*  
 XXVII. IOANNES *Haymoltinger, An. 1553.*  
 XXVIII. ABRAHAMVS *Cronperger, Magister, An. 1582.*  
 XXIX. MATTHIAS *Vogt, An. 1593.*  
 XXX. BALTHASAR *Endris, An. 1604.*

*BETHARTING MONASTERIVM CANO. REGVLARIVM SANCTI AVGUSTINI.*

MONASTERIVM superioris Vindelitiæ fundarunt Judith secundum Auct. fol. 622. & frater eius Meginotzus, Monachis Augustinianis. Consecratum est à Romano Episcopo Gurensi, iussu Conradi Archiepiscopi Salzburgensis, circa Annum 1130. Nam Heinricus, Episcopus Frisingensis, rebus Imperij studebat. Conradus autem autoritatem Pont. Max. sequebatur. liber manuscriptus de fundationibus aliquorum Monasteriorum Bauariae refert. Nobilem quandam matronam, nomine Judith, in suo fundo propè villam Hartingen, Cœnobium in honore S. Ioan. Baptistæ extruxisse, & hoc primò Virginibus sacris dicasse. Postea verò autoritate Apostolica ordinem mutasse, substitutis in locum Monialium Augustinianis Monachis, sacras autem Virgines in Monasterium Altenhochenavv migrasse. Ipsam fundatricem in Cœnobiō suo, liberaliter à se dotato sepultam esse, & reliquissimam filias, à quibus septem familiæ Ministerialium eiusdem Monasterij ortæ sunt, quarum tamen nomina ibidem non extant. Item hoc Cœnobium per Rudolphum & Ludouicum post Imperatorem, Bauariæ Duces, & præsertim per Stephanum iuniorem Ducem, maximis priuilegiis confirmatum esse. In fundatione huius Cœnobij mentio fit duorum Meginozorum, vnius de Milingen, alterius de Zaizering, cuius nominis duæ villulæ ibidem proximè sunt sitæ, quæ proculdubio eo tempore peculiares Dominos hoc nomine habuerunt, à quibus hæc fundatrix originem ducat.

SEPVLTI sunt in hoc Monasterio Nobiles, nunc Barones Imperij facti, de Mâchselrain castro vicino, & nobiles de Haslang.

## ADDITIONES.

*Ex lib. M. S.  
Monasterij* CVm omnis actio mundanorum, quamvis solenniter celebrata, temporum curriculo elabante cadere soleat, nisi quodam quasi fulcimèto, scripturarū adminiculo perennetur: vniuersis huius paginæ inspectoribus, tam modernis, quam successoribus volumus publicari de originali fundatione nostri præsentis monasterij: quam venerabilis Dominus *Vdalricus*, tunc temporis Præpositus reperit *Ratisponæ* in Monasterio S. *Emerani* literaliter in quodam libro, per reuelationem Abbatis eiusdem Monasterij. Tamen sine annali numero incarnationis Domini nostri Iesu Christi, in tali tenore qui hic sequitur.

Quædam vidua genere nobilis, morumq; nobilior elegantissima virtutum, nomine *Iutta*, habitans in villa *Hertingen*, ad exemplum Iacobi Patriarchæ lapidibus in titulum erectis, in proprio fundo, propè villam *Hartingen* fundauit & construxit claustrum Sanctorum, in honore S. *Johannis* Baptista, deo-tè Deo ibidem seruientium, quod sic permanuit per aliquos annos. quæ fundatio postea pænituit fundatricem, quia per moniales non in tantum ampliatur cultus diuinus, sicut per presbyteros, misit ergo ad Apostolicum, quo annuente mutauit habitum, & moniales transferendo in *Altenhohenau*, in *Beyhartingen* locauit de Regula S. *Augustini* Canonicos. Quos secundum posse suum cum prædiis & dote pie dedit. Quæ etiam post Obitum suum in eodem Monasterio feliciter requiescit. Quæ reliquit septem filias, de quibus septem generationes Ministerialium sunt exortæ. Et prædictum claustrum postea per *Rudolphum* & *Ludouicum* Duces *Bavarie*, qui Ludouicus postea Romanus Imperator per Priuilegia sua multis libertatibus gratauerat & benignè, ut patet in eorum Priuilegiis, est dotatum, quod per successores, & eorum heredes, & quam maximè per Stephanum, filium Ducis *Stephani*, Ducem, est confirmatum. Scripta sunt hæc in nostro Monasterio, Anno incarnationis Domini MCCCCXLIV.

CATALOGVS PRÆPOSITORVM MQ-  
nasterij Beyharting.

HERTWICVS *Purckrainer*.  
FRIDERICVS *Spilvverger*.  
GOTFRIDVS *Prandt*.  
GOTSCALCVS *Rehlinger*.  
CONRADVS.  
OTTO *Pientzenauer*.  
RVDBERTVS.  
CHVRADVS *Pervanger*.  
PETRVS *Kriechpamer*.  
VDALRICVS *Khiernhamer*.  
CONRADVS *Prandtstetter*.  
AMBROSIVS *Treitvvein*.  
IOHANNES *Schach*.  
VDALRICVS *Haslinger*.  
IOANNES *Saaldorffer*.

HENRI.

HENRICVS Preßlavver.  
 NICOLAVS Kneittinger.  
 VDALRICVS Eyenhoferer.  
 GEORGIVS Aprecher.  
 PANTALEON Hauffner.  
 LVCAS Wagner.  
 PETRVS Spächter.  
 GWOLFANGVS Lyndtmayr.  
 CONRADVS Hirschauer.  
 BARTHOLOMÆVS modernus Prepositus.

## BEVRBERG MONASTERIVM CANO.

REGVL. SANCTI AVGUSTINI.

**A**LIAS vulgo Peilberg, ad Loysam Monasterium ædificatum est per Attonem, Eberhardum & Conradum de Irinspurg, fratres. At secundum Auent. fol. 552. per Eberhardum & fratrem suum Albertum, qui Imperatori Henrico quarto plurimum acceptus fuit, vna cum coniuge Alberti Bertha, & filio Ottoni, pro Monachis Augustinianis dicatum, circa Annum 1100. Confirmatio autem Calixti secundi Pontificis scripta ad Ottонem fundatorem, quem vocat Nobilem & Illustrēm Ottонem de castro Yringi, ipsius tantum mentionem facit, quod ipse prædium suum in Peilberg dederit, ut ibi in honorem S. Petri & Pauli pro Regularibus fratribus Ecclesia construeretur, dans Monachis facultatem, quem velint Aduocatum liberè eligendi. Datum Laterani, Anno 1121.

SEPVLT I sunt in hoc Monasterio duo ex fratribus fundatoribus in abside meridionali, tertius in Monasterio Wiltha Ordini Præmonstratenſ. in Tyrolensi Comitatu. Item hic sepulti sunt, Weiknandus Miles junior de Erinpurg, Nobiles de Thor, Successores in castro Erinpurg, cum uxoribus. Item Althamer, cum uxoribus & filiabus, habet anniversaria decem, & decem Altaria, ac ut monumenta ibi habent, bis incendio periit.

## ADDITIO NE S.

**C**Alixtus Episcopus seruus seruorum Dei. Nobili & Illustri viro, Ottoni de Castro Yringi, salutem & Apostolicam benedictionem. Deuotionem tuam spe-  
 et auimus, quia prædium tuum Puribergk vbi Ecclesiam in honorem Apostolorū Petri & Pauli ædificare desideras, in qua videlicet regulares Fratres in omnipo-  
 tentis Dei seruitio communiter conuerteruntur, B. Petro eiusq; Romanæ Ecclesiae  
 obtulisti. Eandem itaq; oblationem nos ad honorem Dei & salutem animæ tuæ  
 suscipientes, locum ipsum B. Petri patrocinio communimus. Statuimus enim ut  
 nullus eum occupare, nullus ibi assultus facere vel molestias ausu temerario au-  
 deat irrogare. Sed omnia quæ vel à te jam collata sunt, vel in futurum de suo ju-  
 re à quibusque fidelibus conferentur, quieta & integra, sub Apostolicae sedis  
 munimine conseruentur.. Ita tamen ut exinde pro censu singulis quatrien-  
 rijs alba cum amiciis suis Lateranensi Basilicæ B. Laurentij persoluatur.. Statui-  
 mus etiam ut deinceps neque tibi neque alicui heredum tuorum facultas sit se-  
 in prædicti loci aduocatiæ ingerere, sed juxta fratum electionem & liberam  
 voluntatem aduocatus ibi per Dei gratiam statuatur; id ipsum & de Prælato loci  
 decernimus obseruandum. Si quis autem huic nostra constitutioni temere,  
 quod absit, contraire tentauerit, honoris & officij sui periculum patiatur, aut  
 excommunicationis vltione plectatur, nisi præsumptionem suam digna satisfa-  
 ctione correxerit. Qui vero locum ipsum, & Fratres in eo Domino seruientes ju-